



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sortes, Qvibvs, Ne Temere Cadant, Temperandis; Vel, Si  
Temere Dvcvntvr, Castigandis, Divini Ivdicii Æqvitas  
Semper Adest**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1645**

§. 4. In hostem immitis, ad Deum Iudicem, in ius vocatus, præscripto die, è  
vita atque ad Iudicem discedit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52306)

Nimirum etsi ad tempus patiatur Deus innocentes affligi, cædi, occidi: non obliuiscitur tamen impiorum, quos sæpe, in terris, sæpe etiam in futuro seculo, plectit. Hoc iudicium, altè cordi imprimite, ô fratres, inter quos sæpe æmulatio parit dissensionem, dissensio exitium; sicut & concordia incrementum. Siquidem, vt Poëta cecinit:

*Non caret effectu, quod voluere duo.*

§. IV.

*In hostem immitis, ad Deum Iudicem, in ius vocatus, præscripto die, è vita, atq; ad Iudicem discedit.*

Addo huic Duci alterum Ducem, non iam cum fratre, sed cum hoste, immitius agentem. Genuensium triremes, è Liguria, aduersus piratas, emissæ, biremem Gotholanam ceperunt aliquando. Ibi victoriâ insolentes, gubernatorem biremis, extra Drepanum, in ignominiam Siculorum Gotholanorumque, nocturno tempore, in furcam suspenderunt. Ille, vt vitam conseruaret, ad preces se dimisit; excusationes obtendit, nihil vnquam se Genuensibus nocuisse, protestatus. Omnia frustra. Vt ergo tandem intellexit, plus odiû gentis, quàm æquitatem, apud Genuensem trierarchum, valere,

Fulgos l.  
l. c. 6.

valere, iussit illum, se sequi, atq; intra sextum mensem, ante diuinum tribunal, comparere, vt inhumanitatis tantæ rationem redderet. Audiit Deus vocantem; & condicto tempore, Ligus diem iudiciúmque suum, obijt. Scilicet neque in hostem est Lemnia manu sæuiendum; qui etiam victus ab homine, vt homo, est tractandus.

§. V.

*Damnatus Eques Auratus ad mortem, provocat ad Iudicem supremum, & post se trahit damnatorem.*

Addo & tertium Ducem. Nam auctor est Ioannes Pauli, Rudolphū Austriæ Principem, Equitem Auratum damnasse vt culleo insutus mergeretur; Equitem autem, conspecto Duce, exclamasse: *Dux Rudolphe, ad tremendum Dei tribunal, intra annum, te voco:* cui ille, cum sarcasmo, irridens responderit: *Benè, praito; ego tum adero.* Verrente anno, Dux in febrim incidens appellationis recordatus, seruos affatus dixit: *Tempus mortis mee instat, & ad iudicium eundum.* Dixit. & vixit. ostenditque, in hac curia, etiam sine vadimonio, non irritam esse vadationem.

I 5 §. VI.